PA
6768
.K5

Klette, Antonivs.

Exercitationes terentianae...

THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

Class PA6768
Book .K5

EXERCITATIONES TERENTIANAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA.

SCRIPSIT

ET

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
ORDINIS IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA
RHENANA RITE OBTINENDORVM CAVSSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVIII. MENSIS QVINTILIS CIƆIƆCCCLV

PVBLICE DEFENDET

ANTONIVS KLETTE

SEMINARII REGII PHILOLOGICI SENIOR.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

FRANCISCVS BVECHELER
GVSTAVVS BECKER
FRIDERICVS IASPER
} SEMINARII REGII PHILOLOGICI SODALES.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII.

CIƆIƆCCCLV.

PA6768
.K5

FERDINANDO · KLETTE

FRATRI · DILECTISSIMO

ET

DE · SE · BENE · MERENTISSIMO

HAS · PAGELLAS

GRATI · ANIMI

TESTES · ESSE · VVLT

SCRIPTOR.

Ricardum Bentleium quamvis de Terentio immortaliter meritum, tamen multa praeter necessitatem temptasse, multa aliis emendanda reliquisse unusquisque qui acre studium in fabulas Terentianas impendit, non poterit non sibi persuadere. Atque eorum mendorum quae non sanata sunt magnam partem haud dubie deprehendisset vir divini ingenii, si libros M. SS. antiquissimos accuratius et cognoscere et aestimare potuisset. Quae autem sit conditio librorum Terentianorum et qua via ad poetae fabularum emendationem accedendum sit, clare ostendit *Fridericus Ritschelius* in illa commentatione quam „de emendatione fabularum Terentianarum" ante hos XVII annos Vratislaviae emisit. Qua Ritschelii opera et Calliopii recensio qualis fuerit patefactum est et ex permultis libris qui per Europam hodie extant perpaucos esse apparuit, in quibus iusta fabularum Terentianarum emendatio nitatur necesse sit. Atque ipsius verba haec sunt p. 10: „duo sunt sane „codicum genera aut ante *Calliopii* recensionem scripto„rum aut ex ea ipsa ductorum. Illius generis longe om„nium antiquissimus *Bembinus* est, cui satis confidenter „*Victorianum*, dubitanter iungimus *Decurtatum:* huc per„tinent circa IX saeculum scripti *Basilicanus*, *Vaticanus*,

„*Ambrosianus,* Calliopii operam ipsa subscriptione testati.“ Ex ea autem quam publici iuris fecit accuratae collationis parte intellegitur, eum cui in emendando Terentio non nisi Faernianis testimoniis uti liceat, firmo carere fundamento. Quale ut mihi praesto esset effectum est eiusdem Ritschelii beneficio: qui Bembini Basilicanique collationem mihi in usum meum concessit, quae est summi viri inconparabilis liberalitas.

Terentianum sermonem quantumvis cognatum Plautino, tamen ab eo in haud paucis distare non est mirum. Velut a grammaticis rationibus ea conferas quae, ut hoc utar, de *med* et *ted* formis Plauto non inusitatis, alienis a Terentio Ritschelius disputavit in prolegg. Trin. p. 143: vel a numeris quae de tetrametrorum iambicorum utriusque poetae discrimine post Hermannum Kraussius persecutus est novi Musei Rhenani tomo VIII p. 531 sqq. De prosodiacarum autem quaestionum una particula — quas si totas me exhaurire posse animum induxissem, temeritatis iure accusarer — sat plene mihi videor disputare posse: spectante illa ad *tertiae personae perfecti activi prosodiam.* Quam verbi formam cum Ritschelius in prolegg. Trin. negasset unquam in Plautinis fabulis ultima syllaba producta extare, Fleckeisenus contra in Iahnii nov. annal. tom. LXI p. 20 sqq. pristinam illius vocalis productionem semper servasse demonstravit: exceptis nimirum eis bisyllabis perfectis quorum prior syllaba brevis est. Nec defuit viro praestantissimo probans Ritschelii iudicium in praef. Pseud. p. 14. Eiusdem igitur formae eandem prosodiam in Terentianis fabulis esse, satis confidenter mihi videor affirmare posse, omnibus — nisi quod me fugit — pervestigatis exemplis.

Atque extant in Terentio quae illam prosodiam aperte testentur: quorum exemplorum primum est Hec. III, 5, 13:

Quícquid est id quód reliquit profu*it* . immo obfuit.

Qui versus meo quidem iudicio est sanissimus, (quod autem in Bembino a prima manu haec extant: *immo obfuit, profuit* haud dubie librarii errori tribuendum est): nec propter sententiae finem syllabae ancipiti potius locum fuisse, quam *it* productum esse crediderim. Frustra igitur Bentleius scribi suasit:

profuit . immo vero obfuit,

quod ipsum vitiosum vel propterea quod trochaicorum septenariorum nullus nisi primus pes dactylico vocabulo contineri potest de qua re cf. Lachm. ad Lucr. p. 116, Fleckeis. l. l. p. 61. Nec a metro venustum mihi videtur quod Guyetus „ex metri ratione" scribendum esse putavit:

profuit . immo id obfuit.

Praeterea *stetit* productum est Phorm. prol. v. 9:

Quodsi intellegeret cúm stetit olím nova
Actóris opera mágis stetisse quám sua.

Hunc quoque versum Bentleius duce Guyeto ita mutavit ut scriberet:

ólim cum stetít nova,

de qua ratione „de metro sollicitos id ipsum depravasse" iudicanti Bothio [1]) assentior. Non aliter enim atque in

---

1) Cuius tamen, ut hoc in transcursu dicam, quod in Manhemiana editione protulit commentum *novus* pro *nova* non probo.

Plauto (de quo dixit Ritschelius prolegg. p. 210), in Terentio non crebri sunt ei iambicorum senariorum exitus qui duobus iambicis vocabulis continentur: prorsus autem non infrequentes ei senarii sunt quorum alteram partem efficiunt duo iambica vocabula inserto spondiaco.

His autem exemplis talia accedunt in quibus etsi non necesse sit, praestet tamen *it* terminationem productam haberi. Quo referendos duco tales versus qualis est Phorm. V, 2, 11:

Ita fáciam ut frater cénsuit: ut uxórem eius huc
addúcam.

In quo cum de caesura post *ut* vocabulum statuenda ne cogitari quidem possit — cum ea enim caesura quae est post quartam arsin iambum in quarto pede coniunctum esse necesse est — *censuit* vocabulum reapse creticum haberi ratio suadet: quoniam syllabam ancipitem admissam esse non profecto elegantiae est sed legitimae licentiae [2]).

Nonne igitur nostro iure in talibus versibus quales sunt Hec. I, 2, 115. IV, 4, 31. Phorm. prol. 6. I, 1, 2. V, 8, 50:

Rescívit heri ea caúsa rure huc ádvenit,
Evénit habeo grátiam dis. Núllus sum,
Quia núsquam insanum fécit adulescéntulum,
Heri ád me venit: érat ei de ratiúncula,
Suscépit et eam clam éducat. Sepúltus sum,

vit heri e-, nit habe-, cit adu-, nit erat-, pit et e- non tribrachos sed dactylos aequare putabimus?

---

2) Relicua quod attinet ex hoc certe loco argumentum correpti *úxoris* vocabuli peti noluerim sed *ut* deleverim cum Faerno.

Restat autem ut de talibus dicatur quae repugnare videantur nostrae rationi. Velut Eun. I, 2, 55.

Hic méus amicus: émit eam donó mihi

mit eam non anapaestum aequat sed spondeum quoniam *eam* haud dubie monosyllabum est. Item Ad. III, 4, 5.

De psáltria hoc audívit: id illi núnc dolet

vit id ill anapaestum non aequat, (quod ne fiat vel caesura vetat) nec tribrachus est, sed dactylus producto *vit*, correpto *illi*. Nec quisquam sibi persuadebit huius versus Phorm. V, 5, 12

Set óstium concrépuit abs te. Vide qui egrediatúr. Getast caesuram esse post quartum pedem potius quam in medio quinto. Eiusdem autem fabulae versus IV, 4, 25:

Introiit in aedis áter alienús canis

tantum abest ut rationem nostram infringat ut confirmet. Etenim *introire* non compositum est vocabulum, sed scribendum *intro ire* (cf. Bentl. ad Andr. V, 2, 9. Ritsch. prolegg. p. 160): quod vel eo confirmatur quod extant *i intro*, *i prae*. Apparet igitur *ĭt* correptum esse utpote vocabulum iambicum: quamquam secus visum est Lachmanno ad Lucr. p. 209.

Persuasissimum autem habeo multo plura in fabulis Terentianis olim fuisse exempla pristinae huius prosodiae: quam saepe obscuratam esse librariorum sive neglegentia sive mala sedulitate non abhorret a verisimilitudine. Ac nescio an etiam nunc nonnulla id genus e tenebris erui possint: in quam rem etsi ne cupidius intenti simus maxime nobis cavendum est, tamen nonnulla mihi praesto sunt quae videantur sat probabilia esse. Quorum exemplum nunc tractare in animo est. Etenim Eun. IV, 4, 32 sqq. haec habes:

Non . únde fratrem méum esse scibas. Pármeno
Dicebat eum esse . is dedit mihi hanc . Occidi.
Meam ipse induit . post úna ambo abierúnt foras.

Scripsi horum versuum eum qui medius est quomodo legitur in Bembino: in Basilicano autem multisque aliis libris extat sic:

Dicebat eum esse . is dedit mihi hanc vestem . Occidi.

Bentleius qui non curans Bembini scripturam scripsit:

Dicébat eum esse . is mi hánc dedit vestem. O'ccidi

quantumvis videri possit iure suo ita transposuisse verba ut *hanc* vox ictu intendatur, tamen necessitatem eius rei non perspicio. Etenim non id potissimum agitur *hanc* fuisse vestem quam Dorus acceperit, sed *Chaeream* esse eum a quo acceperit: *is* pronomen autem satis effertur utpote in initio novi enuntiati positum . Quare nisi aliud suaderet Bembini auctoritas, haud aegre acquieverim in his:

Dicébat eum esse . is dédit mihi hanc vestem . óccidi.

Quaerendum autem est quo spectet Bembini scriptura: in quo libro *vestem* vox prorsus omissa est . Quod ipsum cum a numeris importunissimum sit (quicquid oblocuntur qui omne hiatuum genus tanquam adorare solent), a sententia tamen meo iudicio non potest improbari. Ac ne Bentleius quidem *vestem* vocabulum necessarium esse putavit sed „melius esse proferri quam subintelligi“ quod „quinque versus intervenissent, postquam de veste interrogatum esset“. Mihi autem, ut dicam quod sentio, omisso *vestem* vocabulo et planissima et plenissima videntur Dori verba: attamen facillime perspicitur, quomodo explicationis caussa ista vox addi potuerit. Atque eodem modo iam Guyetus Bothiusque Bembini vestigiis usi sunt emendandi fundamento: quanquam ipsorum com-

menta patefiet, ut spero, non probanda esse. Guyetus enim scripsit:

Dicébat esse . is míhi dedit hanc. Hanc? óccidi.

In quo vel illud vituperandum quod dactylum excipere anapaestum passus est: quod prorsus respuit Plautinorum Terentianorumque versuum elegantia. Praeterea, etsi rationem qua Guyetus alterum *hanc* errore omissum esse putavit non ineptam dixerim, tamen praeter expectationem *hanc* vox iteratur, qualem iterationem, si omnino, *is* notione potius factam esse consentaneum fuisset. Bothius autem, probato Bentleiano *is mi hanc*, relicua sibi visus est reconcinnasse in hunc modum:

Dicébat eum esse . is mi hánc dedit . Occidi . Meam
Ipse induit e. q. s.

In quo valde mihi displicet a *meam* voce in fine senarii posita novam ordiri sententiam. Quae cum ita sint, ut ad nostram rationem exponendam deveniamus, duabus voculis transpositis cum Guyeto acquiescendum mihi videtur ita in Bembini scriptura ut legatur:

Dicébat eum esse . is míhi dedit hanc . O'ccidi .

Non profecto me fugit cogitari potuisse de hac quoque transpositionis via:

is hánc dedit mihi . O'ccidi

At neque collocatio verborum commendabilis est nec gratus exitus senarii tribus constans continuis iambis: qualem emendatione poetae obtrudere vix ausim.

Denique paucis attingam Andr. IV, 1, 58, ubi *concrepuit* videtur productum esse. Extat autem in libris monstrum versus hoce:

Faciam . At iam hoc opus est . Hem, set mane . concrepuit a Glycerio ostium.

Bentleius *hem* et *mane* delevit, *hinc* addidit inter *concrepuit* et *a*: atque hoc posterius fortasse recte fecit, cum valde ingrati essent hi accentus: *cóncrepuit-*, de relicuis dubito. At quoniam iste versus graviore labe afflictus mihi videtur nec tamen quid poeta scripserit nunc liquet, tacere quam hariolari malo.

Quos deinceps locos corruptos tractabo et pro virili parte emendare conabor, eos non secundum corruptelarum genera sed secundum fabularum scenarumque ordinem disposui propterea quod illa, ubi vitium deprehenditur, plerumque ita coniuncta inter se esse solent ut discerni et seorsum tractari vix possint. Continentur autem ea de quibus dicturus sum maxima ex parte glossematis quae mihi videor deprehendisse: qua in re ne nimius fuisse dicar non vereor. Verissimum enim est quod dixit Ritschelius de emend. fab. Terent. p. 11 „in Terentii fabulis nul„lum esse hoc depravationis genere frequentius.“ Nec multi, ut opinor, applaudent ei [3]) cuius haec est opinio satis mira: „dagegen findet man“ (nimirum in Bembino) „selten ein Wort zu viel oder einen Ausdruck, der aus „der Interpretation vom Rande in den Text gedrun„gen ist.“

---

3) Gepperto in Jahn. nov. annal. suppl. tom. XVIII p. 52.

Andr. IV, 1, 5 Charini irati haec habes verba:

Ídne est verum? immo id est génus hominum pés-
sumum in
Dénegandó modo quís pudor paúlum adest.

In quibus non possum non aegre ferre *in* praepositionem pertinentem ad *denegando* vocabulum in fine versus positam esse quod prorsus abhorret a Terentii consuetudine[4]). Quominus autem quis *de* syllaba deleta hoc vitium tolli posse ita existumet ut legatur:

in negandó modo e. q. s.

aliud obstat. Etenim *in denegando* verbis non ea inest sententia quam loci ratio flagitat. Nihil enim *in denegando pudor adest* potest significare nisi hoc: *denegantes pudet*, vel *pudet illos dum denegant.* Hoc autem dicere noluisse poetam apparet, cuius haec potius fuit sententia: *denegare non audent quantumvis cupiant.* Atque videtur tale quid sensisse Guyetus quanquam de vitio non cogitavit: is enim verba de quibus agimus interpretatus est in hunc modum: „certissimum est, huiusmodi „pessimos homines existere, quibus quidem si quando ut „quid officii praestent rogantur, in *promittendo* pudor est „tantummodo: tum enim plane denegare non audent, sed „leviter et inconsulte promittunt.“ Quae cum ita sint nescio an leni mutatione sanari possint haec verba: nimirum profecta esse a poeta conicio haec:

---

4) Quae enim id genus non removit Bentleius reapse removenda sunt omnia. cf. Ritsch. prolegg. Trin. p. 296. Quanquam non omnium par est ratio: aliorum enim emendatio facillima est, aliorum satis impedita.

I'dne est verum . immo id est génus hominum péssumum
Dénegan*di* modo quís pudor paúlum adest.

In his enim ne quis haereat non vereor. Facillime autem intellegitur, quomodo *denegandi* in *denegando* mutari potuerit, siquidem *in* illud post pessumum errore ortum esse animo nostro informamus.

Andr. IV, 1, 9 haec leguntur:

E't timent: ét tamen rés premit dénegare.

Qualis hypermetrus qui dicitur creticus tetrameter nescio an omnino [5]) vitiosus sit: hunc certe non ferendum esse persuasum habeo propterea quod *denegare* vocabulo terminatur sententia. Quo diutius autem de hoc loco cogitavi, eo magis in eam inclinavi opinionem ut his verbis nihil nisi eorum quae praecedunt explicationem contineri putarem. Nimirum nihil novi in his verbis inest. Valde autem displicent mihi illa *res premit denegare* quae abhorrent a vulgari sermone: deinde suspitionem auget *denegare* vocabulum, repetitum illud languide ex versu 6: denique *et timent* verba sequentibus repugnant, cum neque „impudentissimae orationi" v. 10 nec „nil pudentibus" v. 13 satis convenire videantur. Praeterea maxime coniecturam nostram confirmat quod in libris esse aliis *res premit eos denegare*, in aliis *res cogit eos denegare*, in aliis *res cogit ea eos denegare* Faernus et Westerhovius testantur. Vide autem quam concinna evadant Charini verba deleto isto versiculo:

---

5) Alium certe praeter hunc nec Hermannus el. d. m. p. 207, nec Lachmannus ad Lucr. p. 81, nec alius quis quantum scio attulit, nec ego indagavi.

Póst ubi témpust[6]) promíssa iam pérfici
Túm coactí necessário se áperiunt.
Ibi tum eorum impudentíssima orátiost e. q. s.

Eun. I, 2, 112 sqq. ubi Phaedria Thaidem meretricem cui ut Thrasonem militem per biduum admitteret permisit, adhortatur ut sui quamvis absentis semper recordetur, haec ea de re habes iuvenis verba:

Cum mílite isto praésens absens út sies
Diés noctesque mé ames me desíderes,
Me sómnies: me expéctes: de me cógites,
Me spéres, me te obléctes mecum tóta sis,
Meus fác sis postremo ánimus quando ego súm tuus

Versum 114 nemini suspectum visum esse satis miror: quem ego quidem persuasum habeo a poeta non esse profectum utpote et a sententia et a numeris Terentiana arte indignum. Primum enim hoc loco non potest non prorsus idem significare *me expectes* atque quod sequitur *me speres*: quae si quis ita inter se differre dixerit ut gravior vis insit in expectandi notione, tamen tertium illud *de me cogites* inter haec duo positum valde languere et sententiae gravitatem prorsus delere non poterit negare. Minor fortasse esset offensio si scriptum esset *me cogites*: at *de me cogites*, quoniam meditandi notionem hinc esse alienissimam apparet, aliter explicari nequeunt nisi sic: *ne sis mei immemor*. Praeterea ne illa quidem *me somnies* mihi placent. Etenim omnia quae ut faciat Thais optat Phaedria et ad noctes et ad dies referenda esse ita mihi videntur ut omnino de somno Thaidis non cogitandum sit.

---

6) *tempus* ÷ in Basilicano est.

Talem enim loci sententiam adducimur ut animo nostro informemus: etiamsi sive noctu sive interdiu cum milite „rem habeas“ tamen mecum te esse credas. Atque prorsus concinna et vivida sunt Phaedriae verba si illum versum omittimus: me desideres *aegre feras me abesse*, me speres *optes ut revertar*, me te oblectes *animo tuo informes me reapse adesse*, mecum tota sis *omnino mecum tibi rem esse credas.*

Sed a metrica quoque ratione vitiosus est is versus. Etenim in eis quae praecedunt et secuntur *me* vox ubique intenditur: *mé* ames, *mé* desideres, *mé* te oblectes, *mé*cum tota sis: quod quoniam tota sententiae vis in eo pronomine sita est, prorsus necessarium est constanter fieri: neglecta autem est haec lex in *me expectes* [7]). Quare hoc quoque argumento iure nostro uti videmur ut versiculum istum inducamus.

Restat ut unde originem traxisse videatur versiculus insiticius exponam. Quod enim saepe fieri vidimus in Terentii nec non in Plauti fabulis ut quae interpretationis caussa adscripta sunt postea in versus speciem nonnunquam non prorsus improbabilem redigerentur, in hunc quoque locum cadit. Adscriptum autem est *me somnies* illi *noctes me ames*, *me expectes* illi me *speres:* tertium

---

7) Illis enim *de me cogites* ab enclisi excusatio parata est. Aliter iudicandum est de *me somnies* et *me speres*, in quibus *me* pronomen etsi ictu non intenditur, tamen quoniam in initio versus positum est non delitescit: quam rem tractavit Ritschelius prolegg. Trin. p. 255. Ex quo fit ut neque *me somnies* ab hac parte sit suspectum, neque *me speres* quicquam valeat ad hanc ratiocinationem evertendam.

de me cogites dubitari potest utrum explicandi caussa adscriptum an versus explendi caussa confectum sit.

Heaut. III, 1, 20 extant Menedemi haec verba:

Num quídnam de gnató meo audisti Chreme?

vitiosissimo accentu in *gnato* vocabulo: quoniam tertium senarii pedem spondiaca voce contineri non passa est ars poetarum. Possunt sane *de gnato* verba enclisi in molossicum vocabulum coaluisse cogitari: attamen manet versus ab accentu inelegantissimus. Apparet igitur hoc lóco aliquid turbatum esse. Quod autem iam olim conieceram *audisti* mutandum esse in *audivisti*: id ipsum postea vidi prorsus confirmari a Bembino: in quo libro cum a prima manu *audivisti* exaratum extet, postea deleta est *vi* syllaba. Ascita autem *audivisti* forma relicua reconcinnanda sunt transpositione. Cuius cum duae pateant viae: et haec

Num quídnam de gnato aúdivisti mĕo Chreme?

et haec

Num quídnam de meo gnáto audivisti Chreme?

ego praeferendam duxeram priorem: nuperrime autem data occasione monitus sum a Ritschelio de summa rei mecum consentiente, praestare posteriorem. Atque est reapse multo simplicior collocatio verborum.

Heaut. V, 3, 16 sqq. ubi Chremes senex colloquens cum Sostrata uxore in eo est ut comprobet non verendum esse ne quis Clitiphonem ex Sostrata non esse natum suspicetur haec leguntur:

So. Quod filia est inventa. Chr. Non sed quo magis credundum siet
Id quod est consimilis moribus
Convinces facile ex te natum: nam tui similis est probe
Nam illi nihil viti est relictum qui sit et idem tibi.

Sic scripta sunt verba in Bembino nisi quod *quod* v. 16 correctum est ex *cum*. In Basilicano autem pro *quo* v. 16 extat *quod*, pro *viti* v. 19 *vitii*, pro *qui sit et idem tibi* eodem versu *quin itidem sit tibi*. Multa autem in istis versibus offensioni nobis esse non possumus infitiari. Atque habeo cur primum dicam de versu 19 qui metro non satisfacit. Faernus cum Bembino scripsit:

quín[8]) sit *et idém* tibi.

Nimirum sibi persuasit haec „sustentari posse producendo dictionem *et*“: quam opinionem perversissimam non est cur refellam. Bentleius autem id recepit quod e deteriorum librorum vestigiis iam antiquissimi editores effecerunt:

quín id itidem sít tibi.

Quam rationem non possum non improbare. Primum enim abundare videtur *id* pronomen: deinde quod gravissimum est qui ita scribunt fundamento utuntur ea collocatione verborum quae est in deterioribus libris. Mihi autem proficiscendum videtur a Bembini scriptura, cuius nisus vestigiis scribendum esse censeo:

Nam illi nil viti ést relictum, quín siet itidém tibi

Relicua quod attinet, nonnihil hoc loco esse insiticium diu est intellectum: quid autem expungendum sit, de eo fue-

---

8) Quamquam enim in B. ut nunc vidimus, *qui* est, tamen *quin* non sollicitandum esse apparet.

runt aliae aliorum sententiae. Guyetus versus 18 — 20 „spurios et excludendos“ iudicavit: qua in re haud dubie nimius fuit. Etenim versum 19 subditicium habere temeritatis est: quo deleto Chremetis verba omni destituuntur acumine. Nec versu 20

Túm praeterea tálem nisi tu núlla pareret filium

nihil novi continetur. Ex eo enim quod Clitipho omnia vitia cum Sostrata communia habet, non profecto consequitur, ita eum esse perditum ut omnino ex alia muliere natus esse cogitari nequeat. Quid autem de versu 18 deleto iudicandum sit postea apparebit. Atque in versibus 16. 17. 18 maximae offensioni sunt iuxta se posita *id quod est consimilis moribus* et *nam tui similis est probe*, item *quo magis credundum siet* et *convinces facile ex te natum*. Illa quod attinet meo iudicio non est difficile diiudicatu quae sint genuina, quae subditicia. Nimirum *tui similis est probe* verba a poeta profecta sunt, *id quod est consimilis moribus* ex interpretatione orta: priora enim sunt elegantissima, posteriora in quibus vel obiecto aegre caremus, mirum quantum explicationem sapiunt: atque reapse moribus, quod ex sequentibus intellegitur, continetur similitudo ista. Non magis autem ferenda sunt *convinces facile ex te natum* verba, quae non dubito quin sententiae explicandae et amplificandae caussa ascita sint ex eis quae leguntur v. 15. Quin etiam haud cunctanter poetae abiudicaverim illa *quo magis credundum siet:* quae quomodo expedire possis prorsus non intellego. Notissimum autem est haud raro accidisse ut ubi aliquid explicationis caussa poetae verbis adscriptum esset, tanquam in dies cresceret interpolatio. Nescio autem an prorsus et concinna et plana et plena sint quae a poeta profecta esse conicio:

Quod fília est invénta. Non, set quód tui similis ést probe:
Nam ílli nil viti ést relictum quín siet itidém tibi e. q. s.

Adelph. I, 1, 3 sqq. leguntur Micionis secum loquentis verba haece:

Profécto hoc vere dícunt si absis úspiam
Aut úbi [9]) si cesses, évenire ea sátius est
Quae in te úxor dicit ét quae in animo cógitat
Iráta quam illa quaé parentes própitii.
Uxór si cesses aút te amare cógitat e. q. s.

In quibus primum ineleganter repetitum est *si cesses* v. 4 et v. 7: deinde, quod gravius est, maximae dubitationi obnoxia sunt haec: *si absis uspiam aut ubi si cesses:* quae enuntiata ut largiamur potius quam concedamus non prorsus eandem habere significationem, tamen nullo modo possunt *aut* particula disiungi. Praeterea non intellegimus quid sibi velint haec: *quae in te uxor dicit et quae in animo cogitat:* quae, si omnino de *dicente* uxore cogitasset poeta, inverso ordine se excipere oportebat. Quae offensiones omnes sublatae sunt ea emendatione quam proposuit Ritschelius nov. Mus. Rhen. tom. VI. p. 446:

Profécto hoc vere dícunt: si absis úspiam
Quae in te úxor dicit évenire ea sátius est
Iráta quam illa quaé parentes própitii.

Ipsum autem Ritschelium memini postea confessum esse non ita certam sibi videri hanc emendationem ut de alia

---

9) Pro *ubi* optimi libri exhibent *ibi*.

omnino cogitari nequeat. Et est sane fatendum, non nulli dubitationi illud esse obnoxium quod *uxor* et *irata* voces segregantur inserto illo enuntiato: *ea evenire satius est.* Non autem aegre feret Ritschelius me meam qualemcunque hoc de loco opinionem protulisse. Etenim quo diutius quid statuendum sit cogitavi, eo magis intellexisse mihi visus sum, non haerendum esse in repetita *cogitandi* notione v. 5 et 7: immo, ut dicam quod sentio, apte illa mihi videtur ter poni v. 5. 7 et 10. Nescio igitur an hoc se commendet redintegrandi illos versus conamen:

Profécto hoc vere dícunt: si absis úspiam
Ea évenire sátiust quae uxor cógitat
Iráta quam illa quaé parentes própitii.
Uxór, si cesses, aút te amare cógitat e. q. s.

Facillime autem intellegitur (quod sane nostrae rationi commune est cum Ritscheliana) quomodo ex his ea quae nunc in libris sunt oriri potuerint. Etenim cum in continuitatem verborum receptum esset *aut ubi* (vel *ibi*) *si cesses* glossema et cum eis quae secuntur *ea evenire satiust* in versus speciem redactum, integri servati sunt sequentes senarii, ea autem quae relicta erant *quae uxor cogitat* a ludibundo librario ita amplificata sunt ut versum explerent. Nec illud casui est tribuendum quod in libris transpositae extant *evenire* et *ea* voces: quod quivis intellegit in illa de qua diximus depravationis via factum esse necessario. Praeterea non neglegendum videtur nostra ratione evitari hunc exitum senarii *ea satius est*, non vitiosum illum quidem, sed tamen inelegantem. cf. Ritsch. prolegg. p. 119 et p. 288.

Adelph. II, 3, 11 in Bembino sunt haec:

Nihil potest supra . quidnam foris crepuit? Mane,
mane, ipse exit foras,

in Basilicano autem haec:

Nihil supra potest . sed quisnam fores crepuit?
Mane, mane, ipse exit foras.

De his verbis corruptis aliae fuerunt aliorum sententiae, quarum equidem nullam possum comprobare. Missis autem relicuis dicam de sola Bentlei ratione. Is enim scripsit ita:

Nil súpra pote . nam quíd foris crepuit? Máne
mane ipse exít foras

quae reicienda sunt vel propterea quod *supra* vocis priorem syllabam produci posse nemo hodie credet: nec puto haec omnino eiusmodi emendatione sanari posse. Ut autem breviter dicam quod unice verum iudico: subditicia sunt integra *nihil potest supra* verba. Vix enim ea ullo modo expedias: et mirum quantum languent et originem alia in aliis libris vocabulorum collocatione produnt. Consentaneum igitur est nonnulla casu excidisse vel, quod veri similius videtur, expulsa esse de industria. Quae qualia fuerint licebit satis certo definire. Proficiscendum autem est a Bembino: nam in illo *quisnam* Basilicani alteram manum correctricem haud dubie agnoverim: quanquam *set* particula, quocunque modo de relicuis iudicabitur, meo quidem iudicio carere non possumus. Praeterea expectamus ex more Terentii ut quodam modo significetur *cuius* fores crepuerint. Quod etsi saepe solo *hinc* vocabulo fit, tamen nescio an hoc loco talia fere a poeta profecta esse probabile sit:

Set quidnam foris *ab illo* crepuit? Máne mane ipse
exit foras.

De *foris* enim singulari numero usurpato non est dubitandum.

Adelph. III, 3, 41 in Bembino extat ita:

Ille somnium . Sineres vero illum tuum,

in Basilicano autem aliisque habes haec:

Ille futilis, somnium . Sineres vero illum tu tuum.

Quo loco haud dubie recte deletum est futile illud *futilis*. De relicuis in diversas partes abierunt editorum sententiae Bentleius enim cum Basilicano scripsit

Sineres vero illum tu tuum.

Quae ferri nequeunt quoniam ne tertius senarii pes anapaestico vocabulo contineatur vetat ars poetarum. Bothius autem, etsi hoc vitium vitavit, tantum tamen abest ut metrum sanaverit ut corruperit. Scripsit enim ita:

nil nisi sapientia
Es, somnium ille . Sineres vero illunc tuum.

In quo nullo modo potest probari *es* in initio versus positum divulsumque a *sapientia* vocabulo. Quae enim id genus Bothius attulit, sunt ea vitiosa[10]) omnia cum simi-

---

10) Terentiana exempla iam Bentleius removerat: Hec. prol. pr. v. 2. Phorm. V, 1, 37 (IV, 6, 37 Bo.). Plautinum autem exemplum hoce Aulul. II, 1, 55:

ego conveniam Euclionem si domi
Est . set eccum . nescio unde sese homo recipit domum,

ubi *est* vel a libris Palatinis tribuitur praecedenti versui, emendaverim ita:

libus. Attamen rectam emendandi viam significasse Bothium persuasum habeo. Nimirum nitendum est Bembino in quo libro non extat *tu* vox: qua quoniam haud aegre caremus, in prima versus parte aliquid excidisse verisimile videtur. Quod equidem *num* fuisse putaverim scribique hunc versum ita suaserim:

Ille sómnium? *num* síneres vero illúm tuum.

Adelph. III, 4, 19. 20 leguntur haece:

Quid istúc est? Nostrum amícum noras Símulum atque
Aequálem? Quidni? Fíliam eius vírginem.

Sic scripta sunt verba in libris, nisi quod in Bembino *atque* vox a prima manu non est exarata, sed postea demum in initio versus 20 addita. At sententia sive servato sive deleto *atque* defendi nequit: et enim magnae offensioni est collocatio *aequalem* vocabuli, quod cum *amicum* coniungi oportebat nec post illa *noras Simulum* addi. Omnino autem *aequalem* huic loco non videtur aptum esse. Nam quod praeclare nuper Ritschelium in interpretando Plauto (Trin. v. 48) animadvertisse memini, non solere senes *aequalitatis* recordari, id etsi illius loci paullo alia est ratio tamen nescio an ex parte in ea quoque cadat quae nunc tractamus. Itaque in eam inclino sententiam ut *aequalem* vocem ex glossemate ortam aliud quid loco movisse existimem. Scribendum autem mihi videtur ita:

D. Quid istúc est? H. nostrum amícum noras Símulum?
D. *Quid égo ni nossem*? H. fíliam eius vírginem e. q. s.

---

ego conveniam Eúclionem sí domist.
Sét eccum *video* . néscio unde sése homo recipít domum.

quo certe nihil simplicius inventum iri puto. Cf. Heaut. III, 2, 18 cum adnotatione Bentlei, Plaut. mil. glor. 1120. 1311.

Postremo loco agam de alius generis glossemate: quod etsi ego non primus deprehendi tamen operae pretium esse duxi denuo pertractari propterea quod genuinum esse sibi persuasit Bentleius. Etenim Adelph. III, 4 53 sq. Demea interrogatus ab Hegione quid Aeschino perfido fieri velit, haec respondet:

frátrem conveniam, Hégio
Is quód mihi de hac re déderit consilium id sequar.

Horum versuum posterior extat etiam in Phormione II, 4, 21: quod cum vel per se suspitionem moveat, alteri utri loco eum esse ab interprete quodam adscriptum, multa sane accedunt quae istam suspitionem augeant. Exordiar ab externis. Etenim ut omittam nihil adnotatum esse in Donati commentariis, additus est is versus [11]) in Bembini margine a recentiore demum manu. A sententia autem tantum abest ut ferri posse hunc versum mihi persuadeam ut mirer eum non unicuique suspectum visum esse. Nihil enim alienius cogitari potest quam Demeam omnino unquam sequi voluisse consilia fratris Micionis, cui per totam fabulam (cf. prae ceteris initium fabulae et ea quae nostrum locum excipiunt) maxime adversatur. Quin etiam de nulla alia re minus cogitari potest Demea sequi vo-

---

11) Vel extant potius lacera fragmenta haece:

IS
QUODMIHIDEACRE
ID S
RITCONSILIUMEXE

luisse consilium Micionis quam de vita filii, quem illius clementia corrumpi plus semel conqueritur. In Phormione contra aptissima sunt haec verba: nec difficile est intellectu quomodo factum sit ut interpres quis, satis quidem inepte ut opinor, hoc loco ea adscripserit. Ibi enim haec praecedunt Demiphonis verba:

frater ést expectandús mihi.

Vix autem necesse est addatur, nihil prorsus nostro loco a sententia desiderari si omisso isto versu, per se quidem elegantissimo sed pessime hic inserto haec senum colloquentium verba se excipere statueris:

H. Quid mihi respondes? D. Frátrem conveniam Hégio.
H. Set Démea hoc tu fácito cum animo cógites e. q. s.

VITA SCRIPTORIS.

Natus sum Mariendorpii, pago prope Berolinum sito anno CIↃIↃCCCXXXIV patre *Ferdinando* matre *Iulia* e gente *Teuerkaufiana*, quorum hac puer, adulescentulus illo orbatus sum. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis imbutus ab optimo patre, gymnasium adii Halense quod floret rectore *F. A. Ecksteinio*, viro in paucis colendo. Maturitatis testimonio munitus auctumno anni CIↃIↃCCCLI Halae civibus academicis adscriptus sum studiis philologicis operam daturus. Cum per annum interfuissem scholis *Bernhardyi*, *Erdmanni*, *Keilii*, *Schalleri* in universitatem Rhenanam me contuli ubi per triennium prodocentes audivi *Bernaysium*, *Brunnium*, *Dahlmannum*, *Jahnium* (quem non ante hos mensis aestivos mihi evenisse praeceptorem vehementer doleo), *Loebellium*, *Overbeckium*, *Ritschelium*, *Schmidtium*, *Schopenum*, *Welckerum*. Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas. Prae ceteris autem colendi mihi sunt *Ritschelius* et *Welckerus:* eorum enim benevolentia mihi contigit ut reciperer in seminarium philologicum, cuius socius ordinarius fui per duo annos et dimidium, senior per annum.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. *Perperam egit Lachmannus quod libris MSS. quam inscriptionibus confidere maluit.*

II. *Soph. Antig. versus 908—912 (Schn.) subditicii sunt, 905—907 nec non 913 genuini.*

III. *Apud Herodotum V, 34 sic emendo: καὶ τὸ τεῖχος ἐφρά ξαντο.*

IV. *Apud Terentium Adelph. III, 1, 8 nata vocabulum non est sollicitandum.*

V. *Apud Lucretium post II, 465 versum excidisse recte suspicatus est Lachmannus.*

VI. *Falso Gerhardus archaeologiam definivit philologiam monumentalem.*

VII. *Dialogus de oratoribus a Tacito non est abiudicandus.*

VIII. *Errant qui in philologiam ullum fructum ex studio linguarum inter se comparatarum redundare posse negent.*

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 059 405 8